



1143.

oo 30

40
D. D. B. V.
DISPVATIO IVRIS PVBLICI
exhibens

AVREÆ BVLLÆ
CONTROVERSIAS POTIORES,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE

DN. FRIDERICO
WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATVS
HEREDE, &c. &c.

In Illustri Academia Fridericiana

PRAESIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO,
I. V. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.

Patrono suo ætatem colendo

IN AVDITORIO MAIORI HORIS CONSVETIS

Die I. Februar. A. MDCXCIX.

Placidæ eruditorum disquisitioni submittit

IO. IONAS KVCKVCK,
Hanoueranus.

Recusa HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Litteris CHR. HENCKELII, Acad. Typ. 1706.

40

DISPUTATIO IVRIS PVBLCI

causam

AVREAE BVLLAE

CONTROVERSIAS POTIORES

causam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO IVVENTVTS PRINCE

DR. FRIDERICO

WILHELMO

MARCHIONE BRANDENB ET ELECTORALVS

HEREDVS

In Imperii Academia Trichstadiana

PRASIDE

DR. IO. SAMVUELE STRYKIO

I. V. D. ET P. V. B. L. ORDIN.

Praside suo merito colendo

IN AVDITORIO M. G. R. H. N. S. CONSISTIT

DE 1. MAR. 1706

Placitum in causa de

IO. IONAS KOCKYCK

HEREDVS

Recus. hinc a Macd. p. r. e. i. s. e.
Licens. Cui. h. r. e. r. e. r. e. r. e. h. o. d. t. y. p. 1706

70





AUREÆ BVLLÆ
CONTROVERSÆ

ASSERTIO I.



Inter L. L. Imperii
fundamentales, quibus hodie uti-
mur, præcipua est Aurea Bulla, ve-
pote in qua forma, eligendi caput
Imperii, præscripta, & Electorum
in hoc negotio prærogatiua claris-
sime asserta.

II.

Aurea Bulla Brabantina, cuius mentio facta est in Ca-
pitulatione Leopoldi, *Art. 8.* penitus ab ista differt, quam
si ob insigne grauamen, quod vicinis statibus infert, non
auream, sed plumbeam, dixeris, nomen rei conueniret;
vnde illam vel abrogandam, vel, concessio retorsionis
iure, restringendam voluerunt Status. Bullam vero
hanc Brabantinam refert integram Dn. Thulemarius in
Tr. de Aur. Bull. p. 130.

III.

Bulla, non diplomatis, sed Sigilli nomen est, nec in

A 2

ho-

hodiernis diplomatibus Cæsareis eius cessat vsus, sed qui noua dignitate ornantur, hanc aurea Bulla muniendam si cupiant, XLVI. Ducatus taxæ imperiali solutis, obtinebunt.

IV.

Autor A. Bullæ Carolus IV. Imperator est, hunc vero per Bartolum eandem conscribi curasse, nulla certa ratione probatur.

V.

Textus A. Bullæ originalis latinus est, hinc ille saltem in casu dubio allegandus est, præsertim cum versio Germanica non raro discedat a latina.

VI.

Quamuis ergo Francofurti in eadem cistula, vbi latinum exemplar deprehenditur, versio Germanica adseruetur, literis monachalibus conscripta, & hinc antiquitatis præsumtionem habeat, sigillo tamen destitutam esse, testatur Dn. Thulemar. *dist. L. c. 9. §. 3.* & hinc nec authenticam fidem merebitur.

VII.

Carolus IV. Romanum Imperatorem se haud iniuria vocauit, nec iniuste hunc titulum adhuc hodie vsurpant Imperatores; cum ad titulum possessio absolute necessaria non sit.

VIII.

Titulus DEI GRATIA Principibus & Principali dignitate fulgentibus hodie comperit, quanquam ad Comites quosdam successu temporis fuerit extensus. Non tamen præcise ob superioritatem territorialem hic titulus debetur, sed ob dignitatem.

IX.

An Aurea Bulla omnium Imperii Statuum consensu condita sit, non vulgaris momenti quaestio est? Affirmati-
 uam euincere videntur verba finalia: *Affidentibus nobis
 omnibus Principibus &c.* Verum alia ratio assistentium, alia
 consultantium. Nec enim ex verbis A. B. apparet
 cum reliquis Imperii Statibus quicquam consultatum
 esse, quam cum solis Electoribus. Et singularis omni-
 no textus est in A. B. *cap. XII. §. 2.* vbi de solenni Curia
 sua testatur Carolus, hanc celebratam fuisse *cum vene-
 rabilibus Ecclesiasticis & illustribus secularibus Principibus E-
 lectoribus & multis aliis Principibus & Proceribus*, sed vbi
 de sanctione ipsa & praevia deliberatione agit, cum solis
 Principibus Electoribus deliberatum, & de ipsorum
 consilio hoc statutum esse, asseritur.

X.

Imo nec ostendi poterit per A. B. aliis Imperii Sta-
 tibus ius quoddam quaesitum esse, sed solis tantum Ele-
 ctoribus. Hinc reliquorum Statuum ne quidem men-
 tio facta, quod vel exinde apparet, dum Imperator no-
 uiter electus, ne quidem Principum & Statuum reliquo-
 rum iura confirmare tenetur, sed tantum Electorum
A. B. c. 2. §. 8. Vbi vero aliorum Statuum mentionem
 iniicit Bulla, hoc tantum contingit vbi onus ipsi im-
 minet, non vbi commodum, vid. *cap. 1. §. 2. 4. 6. 7. 8. & 9.*

XI.

Cum itaque de iuribus Collegii Electoralis hic
 praecipue dispositum sit, dubium non est, posse Impe-
 ratorem cum consensu Collegii Electoralis, in vno vel

altero puncto ab A. B. discedere, cuius rei exempla refert Dn. Thulemar. *de Officiis. c. 26. p. 583.*

XII.

Exinde ratio decidendi dependet, an Status Imperii, qui Electores non sunt, ius ex A. B. fundatum habeant, nonum Electoratum impugnandi, vel consensus sui necessitatem ad hoc negotium vrgendi.

XIII.

Certissimam Rebuspubl. conciliat ruinam discordia litesque intestinae, vti prolixè *in proem.* docet Carolus IV. Imp. Interdum tamen nullum commodius Rempubl. pristino vigori restituendi remedium subest, quam lites ac discordias ferendo, quorsum vulgatum illud: *Diuide & Imperabis.*

XIV.

Non probari valide ex *proem. A. B.* potest, nobis Imperii immediatos, fuisse Status Imperii. Hodie vero illos ad Statuum classem referendos non esse, constat, quia voto & Sessione in comitiis minime gaudent.

XV.

Plenitudo potestatis Imperialis, cuius hic in fin. Proem. mentio fit, nil diuersum a Legibus fundamentalibus continet, sed ex his vtique diiudicanda.

XVI.

Ad Cap. I. Ius conducendi ultra territorium non competit, nisi vel ex conuentione vel ex præscriptione hoc sibi quisquam acquisiuerit.

XVII.

Quamuis ex A. B. dispositione contrauenientibus pri-

priuatio omnium feudorum immineat, a quibuscunque illa obtinuerint. Non tamen feuda delinquentis quæ mediate ab Imperio possidet, Imperatori cedunt amplius, sed Principi illi, a quo eadem possidet.

XVIII.

Pari ratione si Ciuis Imperii mediatu contra dispositionem A. B. peccauerit, non Imperatori; sed principi, sub quo immediate degit, executio competit, quod nouissimæ Impp. Capitulationes abunde probant.

XIX.

Qui Imperiali banno subiicitur & omnibus feudis vbicunque sitis priuatur, retinere tamen illa potest, quæ extra Imperium habet, cum bannum extra Imperium non extendatur.

XX.

Pœna Banni, ac priuationis Iurium, non vna eademque est, sed illa hac grauior, quamuis in multis conueniant. Fœminis autem hæc quidem, sed non banni pœna dictari solet, ne detur occasio pudori fœminino vim inferendi.

XXI.

Banno Imperiali ob crimen punitus, impune quidem offenditur, sed non mox impune occiditur. Peccat ergo bannitum occidendo, nisi in Rempublicam peccare pergat, & facile apprehendi nequeat.

XXII.

Non est in potestate Imperatoris aliquam Statuum Imperii ipso facto in bannum coniiicere; sed processus sufficiens præcedat, & Electorum consensus accedat, neces-

necessum est, imo & reliquorum Statuum, si res moram ferat, per *Capitul. Leopoldi Art. 28.*

XXIII.

Electores ad Electionis locum proficiscentes. a Principibus, per quorum territoria transeunt, vt conductum petant necessum non habent; quanquam si petitus fit, specialem securitatem præstare Princeps territorii teneatur.

XXIV.

Princeps spoliatio in suo Territorio ad restitutionem damni non obligatur, nisi concurrat culpa id est, si inquirendis & persequendis latronibus debitam non impenderit diligentiam.

XXV.

Qui per viam insolitam iter facit, ei dominus territorii ad restitutionem damni non tenerur, cum sibi imputer, quod via regia non incesserit, Electoribus tamen libera competit facultas, per quæ loca transire velint, vbi semper ipsis conductus præstandus.

XXVI.

Ius conuocandi Electores ad electionem noui Imperatoris, quondam soli Moguntino competiisse, dubium est; per A. B. vero specialiter illud obtinuit.

XXVII.

Moguntino mortuo competit quidem Capitulo ius voti & sessionis in Comitibus, verum non facultas ad diætam electionis Imperatoriæ conuocandi, sed ipsi Electores proprio motu conuenire possunt. Licet Capitulum facile sibi consulere possit per festinatam non vbi Archi- Episcopi electionem.

XXIIX.

Habet Moguntinus conuocandi ius ex sola electione, etiam si a Pontifice nondum confirmatus sit, ea ramentum quæ ordinis sunt, ante hanc confirmationem expedire nequit.

XXIX.

Principes Electores, quamuis iniustitiam ab Imperatore nondum obtinuerint, nihilominus ad Electionem admittendi. Quod & in Ecclesiasticis verum puto, postquam a Capitulo electi. Quod enim illis successio, hoc his electio tribuit.

XXX.

Ad Electionem noui Imperatoris Electores omnes & singuli conuocandi, nisi alter eorum delicto forte in habilis effectus, cuius rei exemplum electio Ferdinandi III. præbuit, quoad Electorem Treuirensis, Viennæ detentum ob conpirationem cum Gallo; quod ne in præiudicium A. B. vergat, cautum est *Capitul. Ferdinand. III. Art. 50.*

XXXI.

Trimestre spatium, quo conuenire Electores debent, non semper stricte obseruari solet. A. Moguntino autem id abreuiari nequit, etiam si Bauarus & Saxo consentiant, omnes enim Electores hoc negotium tangit, non solos Imperii vicarios.

XXXII.

Non tenetur Elector in persona comparere, sed sufficit, si legatum miserit cum plena & omnimoda potestate. Non ergo vigore A. B. admittitur Legatus mandatum speciale ad certam personam eligendam habens,

B

li-

licet huic saluberrimæ prouisioni plerumque fraus fiat per separatas instructiones.

XXXIII.

In arbitrio Electoris absentis est, an extraneum legatum mittere, an vero vni ex Coelectoribus vorum committere velit. Nec enim sanctio Iuris Can. *in cap. 42. §. illud autem X. de Elect.* vbilegato iurandum, Principalem nec venire, nec vni ex Collegis vorum committere potuisse, vnquam in publico hoc negotio recepta.

XXXIV.

Moguntinus conuocat Electores intra mensem a die notitiæ obitus Imperatorii; quo cessande, ipsi Electoribus non conuocatis motu proprio conuenire liberum est.

XXXV.

Locum electionis litium euitandarum causa præstat esse certum, quam incertum. Non tamen ciuitati Francofurtensi adeo adstricti Electores, quo minus possint alium electioni destinare locum.

XXXVI.

Vno alteroue Electorum ad electionem Imperatoriam non vocato, integra electio vitatur; quamuis enim plura Electorum vota concludant, non tamen aliter hoc obtinet, quam reliquis legitime vocatis.

XXXVII.

Omnibus itaque Electoribus legitime vocatis, sed quibusdam non comparentibus, vel ante electionem finitam recedentibus, horum suffragia non attenduntur, sed cæteri nihilominus libere electionem peragere pos-

possunt, cum non parentes iuri suo renunciare
censeantur.

XXXVIII.

Quid vero, si maxima pars Electorum legitime
conuocatorum abfuerit an non cæteri legitime nihil-
ominus eligere possunt Imperatorem? Hoc verum qui-
dem, sed non consultum Imperio æstimamus, ne in par-
tes scindantur Status, vnde ciuilitatis fuit, quod Alber-
tus I. ob absentiam Treuirensis & Palatini, electioni
renunciauerit, & de nouo eligi maluerit, teste Bux-
torff. *ad A. B. lib. 25.*

XXXIX.

Non violantur Gentium Iura; nec ad iniuriam
Principum pertinet, si tempore electionis Imperatoriæ
exterorum Principum ac Regum legati ciuitate Fran-
cofurtensi exesse iubeantur; licet hoc male ad solum
diem electionis restringatur.

XL.

In Imperatorem eligendus non præcisè Pontificiæ *Ad Cap. II.*
Religioni debet esse addictus, sed post Pacificationem
religiosam, præcipue vero post instrumentum Pacis,
etiam ex Protestantibus aliquem eligi posse, omnino
dicendum.

XLI.

Eligendus Imperator nec pubes, nec maiorennis
esse debet, nec Imperii Legibus ætatem habet determi-
natam, Electorum enim arbitrio relictum, quot anno-
rum imperatorem eligere velint, hinc exemplum Iose-
phi Regis ante annum 18. ad regimen Imperii non ad-
mit-

mittendi pariter non iuris constituti, sed placiti Collegii Electoris fuit.

XLII.

Germanus natione ut Imperator constituitur, certis imperii Legibus cautum non est, ut tamen nemo alius, nisi Germanus ad gubernacula admittatur, dignitas germanicæ nationis exigit, dum exteri magis libertati Statuum Imperii insidias struerent.

XLIII.

Ex domo Austriaca quod hætenus electi fuerint Imp. e re Imperii fuit; Inde tamen libertas eligendi Electoribus concessa minime sublata, imo hæc per protestationes in Capitulationibus repetitas abunde prospectum.

XLIV.

Electores protestantes, eorumque Legati salva conscientia Missæ ante electionem Imperatoriam celebrandæ interesse possunt; officium enim Cæsari faciunt, non Missarum solennia probant. Praxis tamen non uniformis est.

XLV.

Ceremonia tangendorum Euangeliorum in iuramentis adhiberi solita, per se nihil superstitionis habet, hinc quin illibata conscientia quis ita iurare possit, nil vetat: modo tamen non ad literam euangelii Iohannis, sed ad sensum respectus habeatur.

XLVI.

Iuramentum in electione noui Imperatoris præstan-

standum, Electores sibi inuicem remittere nequeunt, cum non horum, sed Imperii totius præiudicium subfit.

XLVII.

Ad

Cap. III.

Legati Electorum ad electionem missi, non tantum in animam Principalis (quod licitum est, ac æqualem conscientiæ nexum, quoad Principalem inuoluit, quam si ipse in persona iurasset,) sed & in suam iuramentum præstare debent.

XLVIII.

Temporale quidem caput Imp. in Aur. Bull. dicitur, sed eundem quoque caput Ecclesiæ rectissime dici posse, verissimum est.

XLIX.

Maiore vota in eligendo Imperatore quidem sufficiunt; non tamen vbique secundum hæc Imperii negotia deciduntur, vti documento est causâ religionis, Contributionis, nouorum teloniorum.

L.

Capitulationes illæ, quibus Imp. potestas constringitur seu circumscribitur, hætenus a solis Electoribus confectæ, qui contra reliquos Imperii Status præscriptione quoad hoc punctum se rueri poterunt; Et quamvis perpetuæ Capitulationis spes facta sit in *Instr. Pac. Artic. 8.* quamdiu tamen hæc nondum confectæ, Electoribus ius Capitulandi saluum manet, qui etiam monita reliquorum Statuum non plane negligunt, sed nec illis se constringi patiuntur.

B 3

LI.

LI.

Electo nouo Imperatore, non inde labefactantur Statu um Imperii priuilegia ac Iura, si ab Imperatore nouo non sint confirmata; quod si tamen confirmatio petita, eandem Imperator denegare nequit, imo vi Capitulationis iuratæ ad hanc adstringitur.

LII.

In Regno tam electiuo, quam succesiuo, priuilegia quæ ad dies vitæ speciatim non restricta, morte Regis non expirant, sed perpetuo apud priuilegiatum manent.

LIII.

Possè aliquem ex ipso Electorum collegio Imperatorem eligi, nec iuri, nec rationi contrarium est.

LIV.

Nec absurdum assertu est, Possè Electorem secularem (nam Ecclesiasticos alia ratio repellit) sibi ipsi votum dare, ac ita se in Imperatorem eligere.

LV.

Qui sibi ipsi votum dare potest, is & primum sibi votum licite dabit. Nec enim ordinis ratio hic quicquam operatur, si de iure constet

LVI.

Alternatio, optimum sopiendæ super præcedentia motæ litis remedium, obtinet inter Treuirenses & Colonienfes Electores, sed tantum in sessione, non voto; cuius prioritas semper Treuirensi competit.

LVII.

Legati, quamuis principalis sui locum ordinarie tenent, attamen Elector præsens absents, vtut ordine
Ad *Cap. IV.* prio-

prioris, Legato praefertur, sed hoc iterum quoad sessionem, non votum.

LVIII.

Imperium vacare Imp. morte, extra dubium est; nec, quamuis in familia Austriaca superfit dignus Imperio successor, ea propter minus vacare dicendum.

LIX.

Depositione quoque Imperium vacare posse, de facto certum; de iure dubium. Quod si tamen casum supponamus, ubi imae miscentur summis, Leges Imperii fundamentales tolluntur penitus, & bona verba tollendo malo non amplius sufficiunt, necessitas publica excusabit factum.

LX.

Dubium non est, vacare Imperium cui resignavit Imp. An tamen Imperans conscientiae suae consulat factis, si fasces Imperii diuinitus commissos deponat sponte, merito dubitamus; nisi viribus animi corporisque ad sustinendam dirigendamque Imperii molem se imparem viderit.

LXI.

Ius Coronam imponendi Imperatori ex A. B. Electori Colonienfi indubie competit. Lis vero Moguntino desuper mora hoc pacto fuit in Leopoldi electione sopita, vt Moguntinus & Colonienfis vnusquisque in sua dioecesi, extra eam vero alternatim, coronam imponant.

LXII.

LXII.

Ad Cap. V

Vicariatus Imperii, vti Sereniff. Electori Saxoniae certiffime competit, ita an Palatinus an Bauarus eidem adiungendus, inducto Electoratu octavo, summe dubium. Nostrum non est hanc litem decidere, quamuis in sententiam illam, quam potentiff. Elect. Sax. in literis (quæ vid. *in diar. Europ. part. 1. p. 79.*) probauit, magis inclinemus.

LXIII.

Vicariis, cum alienandi potestas concessa non sit, non licebit rem Imperii in feudum dare, licet renouationem inuestituræ concedere, seu de feudo antea constituto inuestire possint.

LXIV.

Excipiuntur feuda Principum, quorum inuestitura Imperatori seruanda, quod verum puto, etiamsi vacante Imperatori seruanda, quod verum puto, etiamsi vacante Imperio tempus petendæ inuestituræ elabatur. Quid vero ipsi Imperatori circa hæc feuda liceat, *Cap. Leop. artic. 30.* docet.

LXV.

Vicarii omnia iura, quæ ipsis in specie non sunt adempta, regulariter exercere poterunt; Hinc iura legitimandi, nobilitandi, priuilegia academius concedendi, licite exercebunt.

LXVI.

Quamuis terræ Electorales Brandenburgicæ & Brunsvicensis, Iuri Saxonico renunciarint, nihil tamem inde decedit iuri vicariatus Saxonici.

LXVII.

LXVII.

Electorem Palatinum Imperatori ius dicere posse, constat ex A. B. quo ipso nihil decedit maiestati Imperatoris: Longe enim diuersa sunt, an ex pacto, an vi superioritatis iudicem agnoscas: Nec enim absoluti Reges in suis regnis sine iudice esse solent.

LXVIII.

Rarum quidem Iurisdictionis exercitium contra Imperatorem allegabit Palatinus, nam quibus cum Imperatore priuata intercedit controuersia, contra ipsum, tanquam Archiducem Austriae experiuntur, quo casu ordinaria Imperii Iudicia patent; non tamen ea propter illustre hoc iudicandi munus exspirasse censeo.

LXIX.

Si Imp. actoris vices subeat, ad forum Palatini provocare nequit. Imo nec viuo Imperatore Regis Romani Iudicem esse Palatinum, existimo.

LXX.

Germaniam olim duplici illo Palatinatu, Rhenano & Saxonico vsam fuisse constat, vid. Dn. Vitriarius *de iure publ. l. i. c. ii. §. 4.* & quidem Palatinatus Saxonici fedes fuit *Alsted.* Sed hoc dubium non tangunt Dd. an Imperatores constituti in locis Palatinatus Saxonici, adhuc iudicem habuerint Palatinum Rheni; annon potius Palatinum Saxonicum? Posterior sententia probabilis mihi videtur.

C

LXXI.

Ad *Cap. VI.* Electores in actibus ad curiam spectantibus omnes alios Principes, cuiuscunque eminentiæ sint, præcedere cautum est in *A. B. C. S.* Sed an etiam Regibus hoc casu præferendi? Non videtur, cum Regi Bohemiæ soli hæc eminentia tribuatur. Sed idem de aliis Electoribus in procesionibus solennibus asserendum.

Electorum legati non tantum in actibus ad curiam pertinentibus, sed etiam aliis quibuscunque, Principibus in persona præferuntur; hoc enim euincunt verba fatis perspicua *Capit. Leopold. Art. 5.*

Ius voti Electoralis non personæ sed Principatui coheret, inde, si contingeret, domum quandam Electoralem extinguere, non posset Imperator sine Principatu Electoratum in alium transferre; ob quam causam Ioannes Fridericus El. Sax. circulum Electoralem cedere necessum habebat Mauritio Duci.

Ad *Cap. VI.* Ius voti Electoralis vi successione transfertur in filium, etiam si nondum accesserit inuestitura Cæsarea.

Primogenitura in successione Electorali per *A. B.* expresse fundata, hæc tamen necessitatem non imponit primogenito, quo minus iuri suo renunciare possit, licet cessio iuris in tertio genitum ipsi non permitenda.

LXXVI.

Nepotem ex primogenito filio, secundo genito in Electoratu præferri, dubium non est; Cum non ex morte patris sed natiuitate dependeat ius primogenituræ, quod semel acquisitum cum sanguine transmittitur.

LXXVII.

Legitimatam per subsequens matrimonium iure primogenituræ non gaudere, quibusdam vilum est: Sed cum nulla lex Imperii huic resistat, pro eo pronuncian- dum erit. Alia ratio est, si ante hanc legitimationem alius iam legitime natus fuerit.

LXXIIX.

Si primogeniti linea deficiat, an Senioriagnato simp- liciter deferenda successio Electoralis an lineæ proxima habenda ratio, prolixè disputatum fuit inter lineam Altenburgensem & Vinariensem. Pro Seniore pugnavit Goldastus in *Tr. de Seniore & Maior.* Pro lineali suc- cessione pugnavit Engelbrecht. *Tr. de Success. Electorali,* quæ posterior sententia verior.

LXXIX.

Tutela Principis Electoralis proximo agnato asseri- tur in A. B. Sed an testamento alius constitui poterit, in domo Palatina, sub initium huius seculi, acriter disputa- tum? Sane cum A. B. conderetur vna in Imperio Re- ligio erat, quæ cum triplicata sit hodie, & ab Agnato di- versæ religionis maximum provinciæ Electorali immi- neat

neat periculum, merito limitanda erit decisio A. B. modo res Germana in eodem statu manserit.

LXXX.

Si ex multorum sententia tutela Electoralis explicanda ex Iure Communi, vt per proximum Agnatum non excludatur testamentarius Tutor, nec mater a Tutela, qua ius & votum Electorale non concernit, excludenda erit: Placet enim sententia Dn. Coccei. *de Iur. Publ.* Tutelam Electoralem quoad ius tantum & vocem deberi proximo Agnato, non quoad administrationem prouinciarum.

LXXXI.

In Prouinciis ergo ad Electoratum non pertinentibus, procul omni dubio, testamento Tutorem filio dare poterit Pater Elector.

LXXXII.

Ætas legitima Principis Electoralis determinata est spatio XII^X annorum. Reliqui itaque Electorum filii, nisi priuilegium doceatur, maiorenes erunt, tempore ordinario. Verum an XXV annus secundum ius Commune, an XXI secundum moris Saxonie sufficiunt? Posterius exinde probari possit, quia cum conderetur A. B. ignotum in his locis fuit Ius Romanum.

LXXXIII.

Ius prouidendi de Electoratu vocante, ad solum Imperatorem pertinet. Sed an post *Cap. Leop. Artic. 44.* aliorum Electorum consensu opus habet Imperator?

Ita

Ita videtur; quod tamen ad votum negatiuum, si iusta contra dicendi causa adfit, restringendum erit.

LXXXIV.

Ad

Regnum Bohemiæ vtut electitium fuisse defendatur, non tamen iure Electionis Regalia tenet Rex, sed per inuestituram Cæsaream. Hodie Prouinciis hereditariis Imperatoris adscribitur, Infr. Pac. Osnabr. Artic. 4. §. 55. Cap. VIII.

LXXXV.

Ius de non evocando Regni Bohemiæ incolis hic asserturn, non tantum aliorum Electorum, sed & Principum subditis commune est

LXXXVI.

Regem Bohemiæ coram Iudicio Austregarum conueniri posse, verius existimo. bA

LXXXVII.

Argentifodinarum ius commune est, & hodie statibus Imperii omnibus competit. Quod regale omnia ad se trahit comoda subterranea, quorsum & Carbo- nes fosfiles referendi. Ad
Cap. IX.

LXXXIIX.

Iudæorum receptio ad Regalia pertinet: sed receptionis denegatio violationem humanitatis continet. Sane cum spem conuertendorum Iudæorum faciat Scriptura S. cur media inter Christianos subsistendi ipsis denegarentur? Licet dolendum, quod nihil curæ in illorum informationem impendant Principes.

LXXXIX.

Liberos Iudæorum inuitis parentibus si baptizare

liceret, quod licet iuxta *c. 11. C. 28. q. 1.* facilis eorum conuersio foret. Verum nos iure, baptismum reiciamus, licet in Captiuorum Turcarum liberis admittamus.

6A
Ad
Cap. X

XC.
Ius monetandi, Regi Bohemiæ amplissimis verbis hic confirmatum, nihil continere videtur præcipui præ aliis Electoribus & Statibus, præsertim cum hodie ad multos, etiam non Status, hoc Regale transuerit. Hoc tamen singulare est, quod in quouis loco & parte Regni sui monetam cudere possit, cum reliqui Principes adstricti sint ad certum locum zu einer gewissen Münzstadt. Verum hoc in fine *c. 10. A. B.* etiam ad alios Electores extensum.

6A
Ad
Cap. XI.

XCI.
Hoc tamen certum, Status Imp. ius monetendi vi iuris superioritatis sibi vindicare non posse, nisi speciali priuilegio muniti; quorsum pertinet vulgatum illud: *Ein jeder Reichs-Standt / ist sein Münz-Stand.*

XCII.

Cum ius de non euocando subditis Electorum generatim concessum sit, per *A. B. c. 11.* inde sequitur, nec illum, qui Imperatorem iniuriis affecit, Imperatore urgente remittendum esse, vt ab hoc puniatur, quod & ad aliorum statum subditos extensum est. per *Ordinat. Camer. P. 2. c. 1. pr.* & sic hodie *L. vn. C. Si quis Imp. maledixerit* hoc passu non obseruatur.

XCIII.

An subditi statuum Imperii iuri de non euocando renun-

nunciare possint, disquiritur? Mihi negatiua verior, cum non solum fauorem subditorum, sed simul Principis concernat. Insuper clausula annullatoria eiusmodi tentatæ euocationis *hic c. 1. §. 2.* expresse adiecta.

XCIV.

Ius de non appellando Electoribus in A. B. concessum, a Iure Resortus, seu supremæ cognitionis, diuersum est.

XCV.

An Principes, iure de non appellando destituti, statuto inducere possint, ne appelletur? controuersum est. Affirmatiuam defendimus, si, non per modum imperii, sed per modum conuentionis, subditos, ne ad Cameram appellent, inducant, cum Appellatio sit beneficium, cui vnusquisque renunciare potest. Non ergo hoc fringeret extraneos in hoc territorio litigantes, quo minus appellare possint.

XCVI.

Pariter, quamuis omnibus Electoribus ius de non appellando competat, liberum tamen ipsis fuit ab hoc priuilegio recedere, & ius suum ad certam summam restringere.

XCVII.

Summa appellabilis attenditur tantum in causis certam æstimationem habentibus: Si de iuribus sententia fuerit lata, appellationi locus, etiamsi res leuioris momenti videatur. Hinc ratione pulli gallinacei singulis

lis annis præstandi, appellationem admitti, testis est
Blum. *Proc. Cam. c. 47. n. 45.*

XCVIII.

Ius de non appellando non excludit querelam denegatæ, vel fraudulentè protractæ iustitiæ. Quod si tamen iudex mediatus iustitiam denegaret, non imperator, sed territorii dominus adeundus.

XCIX.

Ad *Cap. XII.* Ius diætas pro lubitu instituendi speciatim Electoribus competit, per A. B. cap. 12. sed vt hoc tamen singulis annis faciant, adstricti amplius non sunt, sed res ex ipsorum arbitrio dependet, adeo, vt nec Imperatoris consensu opus sit, vid. *Capit. Leop. Art. 6.*

C.

Principibus quidem aliis ad certum circulum pertinentibus, pariter quidem permitti sunt conuentus *die Krays Täge* per *d. Cap. Leop. Art. 6.* Verum non, vt de negotiis Imp. sed circularibus tantum, deliberent, per verba Capitulat. *dero Angelegenheiten zu beobachten.* Electores vero conuenientes etiam de Imperii negotiis deliberant.

CI.

A conuentibus Electoralibus A. B. Regem Bohemiæ non excludit, successu temporis tamen excludi cœpit, vnde cum *A. 1612.* Rex Bohemiæ Cardinalem, Clefelium mitteret ad Conuentum Electoralem, non admissus fuit.

CII.

CII.

Collegium Electorale in suo conuentu Commis-
sarium Imperialem admittere non tenetur, nisi ex vr-
banitate, cui etiam adscribo, quod in conuentu Electro-
rali de *A. 1630.* Gallia & Britannia Regum Legati fue-
rint praesentes.

CIII.

Singulare omnino est, & hodie quam maxime in
vsum reuocandum, quod cautum est in *A. B. c. 12. §. 3.* ne
tractatus de communi salute & pace, per excessiuam
frequentationem conuiuiorum retundantur.

CIV.

Imperator per priuilegia certis personis concessa, non
potest derogare iuribus Electorum, aut aliquem in eorum
territorio a iurisdictione territoriali eximere, *per A. B. c. 13.*

Ad
Cap. XIII.

CV.

Vtut priuilegia *proprio motu* concessa plenius in-
terpretanda sint, adeo vt in his cesset exceptio sub & ob-
reptionis; attamen haec clausula nil quicquam operatur
vltra potestatem Principis, quam de iure habet.

CVI.

Reuocatio priuilegiorum, vtut Principem non de-
ceat, cuius vna lingua, vnusque calamus esse debet: At-
tamen recte facit, si ex post facto sentiat, se priuilegio
suo, iuri alterius praeter meritum intulisse damnum, si
haec, ad ductum huius textus, ex certa scientia reuocet,
& irrita pronunciet.

CVII.

Quamuis Vasallo deneganda non sit potestas, feu-
ta-

Ad
Cap. XIV.

D

dum refutandi, & aliorum se conferendi 2. F. 38. sancta tamen ipsis memoria pristini Domini manere debet, ne hunc malitiose diffidet. *A. B. c. 14.*

CVIII.

Diffidationis pœnam etiam inter priuatos capitalem esse, constat, modo tamen ex diffidatione non vni personæ, sed toti ciuitati aut communitati periculum immineat.

CIX.

Ad
Cap. XV.

Ciuius imperii mediatis nulla confœderatio permessa, inuito territorii Domino, in tantum, vt nec alterius protectioni se committere valeant.

CX.

Statibus vero Imperii etiam cum exteris Ius fœderum, siue pacis & belli pater, nisi in præiudicium Imperii tendat. *Instr. P. Artic. 8. §. gaudeant.*

CXI.

An ergo & cum Turca fœdus inire fas erit? Aff. si fœdus defensiuum, & necessitas hoc urgeat; Christianus enim alterum iniuste armis opprimet, peior Turca est.

CXII.

Ad
Cap. XVI.

Non absolute prohibet *A. B. c. 16.* quo minus quis alterius Ciuitatis ciuis fiat, sed hoc disponit, ne in præiudicium Ciuitatis originariæ, ad Ciuitatis nouiter adeptæ priuilegia prouocet. *Conf. L. 22. §. 2. ff. ad Municip.*

CXIII.

CXIII.

Ius migrandi ciuibus imperii mediatis omnino liberum est, si solido detractionis oneri se subiecerint.

CXIV.

Ex illa diffidandi licentia, quam certo adhuc modo indulget *A. B. Cap. 17.* nata est illa rigida quorundam eruditorum cautela, in casum commissæ more sibi licentiam stipulando: daß Er mit Raub und Brand wieder ihn verfahren möge/ quod merito reprobandum. Ad *Cap. XVII.*

CXV.

Bella inter status Imperii, cum iudicem habeant, quatenus offensionem continent semper iniusta sunt: Defensuum vero omni iure licitum.

CXVI.

Literæ intimatoræ in *A. B. c. 18.* præscriptæ, non amplius in forma Patendi, sed clausæ singulis insinuandæ. Ad *C. XVIII.*

CXVII.

Vnum Electores plures Legatos ad locum Electionis Imperatoris mittendi ius habere, constat ex formula mandati in *A. B. c. 19.* dum quemlibet eorum in solidum admitti cauet: Ipsi tamen actui Electionis vnus tantum interest. Ad *Cap. XIX.*

CXVIII.

Legato Electorali mandatum non tantum ad substituendum, sed etiam ad reuocandum dari debet, quæ clausula reuocandi omnino necessaria, sine hac enim substituens substitutum reuocare nequit. *cap. 3. de Procurat. in 610.*

Ad
 Cap. XX. Electoribus ius eligendi vigore principatus compe-
 tere cauetur in *A. B. c. 20.* de quo iam dictum supra. Quid
 ergo si quis duplicem Electoratum possideat? Resp.
 duplici gaudebit voto, pariter sicut in Comitibus Electori
 Brandenburgico tot vota in Collegio Principum com-
 petunt, quot Principatus possidet.

CXX

Ad
 Cap. XXI. Ius de præcedentia disponendi solius Imp. est, licet
 quantum ad Electorales procesiones horum conven-
 tioni negotium relinquatur, quæ hodie iterum de nouo
 ineunda, postquam nonus Electoratus numerum auxit.

CXXI.

Ad
 Cap. XXII. Alias iure præcedentiæ certis non nituntur regulis
 sed ex obseruantia iudicandæ. Maiorem dignitatem præ-
 ferendam dicunt; quod tamen fallit, si dignitas ab actu,
 qui geritur remotus sit, cuius rei in Rege Bohemiæ e-
 xemplum est.

CXXII.

Ad
 Cap. XXIII. Optime statutuum in *A. B. c. 23.* quod in negotiis Ar-
 chi-Episcopalibus ille pro priore reputandus, qui prior
 consecratus est, quod conuenit Iuri Canon. *C. 5. dist. 74.*
 Verum in negotiis politicis hoc non obseruatur.

CXXIII.

Ad
 Cap. XXIV. Ad singularem Electorum eminentiam pertinet, quod
 in ipsos crimen Maiestatis committatur eodem effectu,
 quam

quam si in Imperatorem commissum esset, h. e. vt bona perduellis, vbicunque sita, confiscentur.

CXXIV.

Quod tamen Fisco Imperatorio hæc bona vi huius textus vindicari debeant, hoc hodie aliter se habet in bonis mediatis quæ Fisco domini territorii cedunt.

CXXV.

In Principes Imperii alios a subdito commissum Crimen læsæ Maiestatis dici posse non nego, sed æqualiter hoc puniendum esse, quam si res Electorem tangeret, nego.

CXXVI.

Vt filii in crimine Maiestatis paterno pereant subplico, iustitiæ regulis non quadrat; Vt vero patria expellantur, infamia notentur, & bonis priuentur, iniquum non est: Exigit enim salus publica peccandi occasionem præscindere illis, quas connatus vindictæ stimulus ad vlciscendam patris mortem cum damno Reip. excitare solet.

CXXVII.

Non immerito statutum est, vt sociis perduellionis proprio motu se deferentibus & complices reuelantibus concedatur impunitas, imo & præmium indulgeatur, cum nullo feliciore remedio societas delinquentium per diffidentiam turbari possit, quam si alteri ex revelatione præmium, alteri pæna immineat,

CXXIX.

CXXXIX.

Ad
Cap. XXV.

Dum Electoratus indiuiduos constituit *A. B. cap. 25.* probabile est Principatus reliquos fuisse quondam diuiduos. De cætero autem quod habetur *2. Feud. 55.* Feuda maiora debere esse indiuidua, in Germania parum obseruatum fuit; Et si tandem indiuititas Principatum admitteretur, imbellis consequentia foret. Ergo soli Primogenito competit successio; nam vel fortihic locus esset, vel plures etiam fratres pro indiuiso regimen Prouinciæ sustinere possent.

CXXXIX.

Potest tamen Primogenitura in reliquis Principatibus induci, & facilius quidem ante liberorum natiuitatem, quam his iam procreatis: cum non sit in arbitrio Imper. ius illis quæsitum tam ex prima inuestitura, quam ex natiuitate ipsis auferre.

CXXX.

Apanagium, quod Princeps in Electoratu succedens, fratribus vltrogenitis debet Lege publica determinatum non est, hinc nec necessarium fore puto, vt legitimæ quantitatem attingat. *A. B.* vero hic lociad Conscientiam & pietatem successoris prouocat.

CXXXI.

Ad
Cap. XXVI.

Quamuis Electorum singulis certa insignia præscripserit *A. B. c. 26.* in Coronatione Imp. præferenda, hæc tamen per se nihil conferunt ad dignitatem Electo-

ctoralem; utpote cuius eminentiæ in voto & sessione, si eligendus sit Cæsar confistit, nec huic quicquam dedit, si certum nouo Electori officium nondum fuerit assignatum.

CXXXII.

Ipsa officia Electoralia secundum *A. B. c. 27. exp. Cap. XXVII.* dienda non dependent ab Episcopo Bambergensi, licet simile quidpiam officium ipsi per subofficiales certos, ab Imperialibus plane diuersos præstari soleat; Hoc vero ut Elector nouiter constitutus pariter ambiat consultum non est, cum & alii Electores se dudum ab illo officio Bambergensi liberatos uoluerint.

Ad

Cap. XXVII.

CXXXIII.

Singularis Electorum eminentia est, quod singulis in diæta Electionis mensa præparetur, Principibus vero vna tantum in loco depresso, qui & capite aperto adsident, Electores vero capite tecto.

Ad

Cap. XXVIII.

CXXXIV.

Electores inuestituram a Cæsare petentes a laudemo utique exempti sunt, aliquid tamen præstandum ipsis officialibus Cæsaris, sed maior summa Cancellariæ ab aliis Principibus exsoluenda.

Ad

Cap. XXIX.

CXXXV.

Ius eligendi subofficiale cuius Electori liberum est, qui plerumque per modum feudi officium hoc familiaribus quibusdam illustribus conferunt.

CXXXVI.


Ad
Cap. XXX.

Linguarum studium Principibus Electorum c. 30.
commendatum; hodie longe aliter se habet: de Slauica enim lingua extirpanda potius agi debebat, Italica sublati expeditionibus Romanis parum necessaria: Latina autem lingua, quam sub Grammatica hic intellectam volunt, adeo vniuersalis est, vt pro lingua gentium reputetur, & cum exteris sine præiudicio adhibetur & hinc merito addiscenda. Sed hodie fere nullum aliud idioma, quam gallicum auditur, quod ne tandem Germanam grauitatem & honestatem perimat, optamus.

S. D. G.



- 46.) Christoph. Phil. Streit de transitu innocio
et notio
- 47.) Christian Wildrogel de testamento legati.
- 48.) Ernst. Theoph. Majerius de reputatione in
integrum
- 49.) Adrian Beyer de expensis executionum ter-
minalium seu Grutto Geld
- 50.) De jure facinorosos sequela prefectoria
prosequendi. Albst 1714.



01 A 6582

ULB Halle 3
002 934 221




f

vd A

107







40

Q. D. B. V.
DISPVTATIO IVRIS PVBLICI
exhibens

AVREÆ BVLLÆ
CONTROVERSIAS POTIORES,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE
DN. FRIDERICO
WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATVS
HEREDE, &c. &c.

In Illustri Academia Fridericiana

PRAESIDE
DN. IO. SAMVELE STRYKIO,
I. V. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.

Patrono suo ætatem colendo

IN AVDITORIO MAIORI HORIS CONSUVETIS

Die 1. Februar. A. MDCXCIX.

Placidæ eruditorum disquisitioni submittit

IO. IONAS KVCKVCK,
Hanoueranus.

Recusa HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Litteris CHR. HENCKELII, Acad. Typ. 1706.

40

